



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

Ricci, Bartolomeo

Mogvntiæ, 1605

Præfatio Avctoris Ad Pivm Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

PRÆFATIO
AVCTORIS AD PIVM
LECTOREM,

SINITIVM huic meo de
MEDITATIONE Opuscu-
lo, PIE LECTOR, iuvante
Spiritus sancti gratia da-
bo, vbi ad tria, quæ mihi
forte obijcere posses, respondero. Primum
sit, cur ego hoc scribendi argumentum de-
legerim, cum ante me permulti, tam vete-
res, quam recentiores eruditè & copiosè il-
lud sint persecuti. Secundum est, quam ob-
rem nouo more hæc tractationem, artium
instar, ad præcepta & regulas reuocarim,
cum tamen S. Apostolus Paulus sanctam
hanc exercitationem totam consignet au-
ctori Spiritu sancto, dum in epistola ad Ro-
manos ita scribit. Ipse Spiritus postulat
pro nobis gemitib. inenarrabilibus,
id est, postulare nos facit, vt exponit B.
Augustinus. Et in altera epistola ad Corin-
thios. Non sumus suffic. ètes cogitare
ali-

Rom. 8.

2. Cor. 3.

PRÆFATIO.

aliquid ex nobis, quasi ex nobis. Tertium & postremum est, cur præter aliorum scriptorum consuetudinem me demiserim ad explicanda quadam minutula & passim obuia. Verum nauabo operam vt tribus his quasiunculis, propitio cœlesti numine, iam iam faciam satis. Ac principio factò à prima, fateor equidem multos de hoc argumento piè, doctè & copiose scripsisse, sed eorum nonnulli tantum occupati fuerunt in congerenda ampla Meditationum (in-signi sanè fructu) materia, alij verò, etiam si de ratione meditandi quadam commentati sunt, tamen generalia tantum monita & documenta attigerunt. Nec diffiteor quosdam etiam longius se demisisse ad varias meditationes, spe bona, expectatio-nèq; fultos, fore tyrones aliquos qui paulatim rationem rectè meditandi imbiberent: tamen nec illi videntur mihi institutum suum assecuti, eo quod nulla specialia de modo meditandi documenta traderint. Hoc vt ego quondam animaduerti,

);(3 cœpi

PRÆFATIO

cepi nonnullis in hoc genere tyronibus hu-
 manus instructionis documenta quedã trade-
 re, & quia ex voto successit, in hoc qua-
 decunq; opusculũ omnia, vt dicam in ter-
 tior responso, redigere. VENIO ad alte-
 ram questionem; affirmoq; me non igno-
 rare quosdam in ea opinione esse vt arbi-
 trentur, non tam à multiplici prepara-
 tione, quam à Spiritus sancti ope hoc piẽ
 meditandi munus vel donum pendere,
 conuenienter dicto Christi apud B. Ioan-
 nem. Spiritus, vbi vult, spirat: & nescis,
 vnde veniat, aut quo vadat. Confe-
 runt illi meditandi gratiam navigationi
 in mari, que irritò instituitur conatu,
 nisi nauis vi ventorum impellatur. Ego ta-
 men semper à contraria opinione steti as-
 serentium ad comparandum hunc san-
 ctum commentandi de rebus diuinis habi-
 tum, præter auxilium cœleste, lege ordina-
 ria, opus esse nostra preparatione, eaq; mi-
 nime vulgari, sed sedula & solerti. Probe
 siquidem scio non paucis sanctis, sed ex-

Ioan. 1.

PRÆF-

PRÆFATIO.

traordinarie, nulla antegressa institutio-
ne vel studio singulari, diuinitus commu-
nicatam fuisse contemplandi gratiam.
Quod autem ordinariè via tenenda sit,
quam dixi, omnia illa sacrarum littera-
rum testimonia persuadent, quibus oran-
di, meditandiue studium nobis commen-
datur. Ac forte hanc laboriosam nostram
preparationem Deus mysticè insinuare
voluit modo illo loquendi ad Adamum
primum parentem, quando, vt est in
Genesi, dixit. In sudore vultus tui ^{Gen. 3.}
vesceris pane tuo, nempe Orationis.

Neque idcirco existimes me probare
eorum morem, qui, vbi semel ex sen-
tentia successerit Meditatio, extollendo
se dicere solent. Manus nostra excelsa,
& non Dominus fecit: Sed conspiro cum
Apostolo sancto in priore epistola ad Corin- ^{1. Cor. 15.}
thios ita loquente. Gratia Dei sum, id
quod sum, sed cū additamento sequenti.
Sed gratia eius in me vacua non fuit.

J: (* atq;

P R Æ F A T I O.

atq; si dixisset. Ingenuè confiteor, quicquid boni habeo, me diuina gratia beneficio accepisse, sed illud quoq; fateri cogor, mihi gratiam illam frustra non esse collatam, quia pro virili mea illi sum cooperatus ad instar fidorum illorum seruorum qui pro talento à Domino accepto negotiati sunt, & non, vt nequam ille, defoderunt in terram.

Ergo id fixum exploratumq; noris ad actionem meditandi & Deum & nos confluere, sed hoc discrimine, quod partes Dei, semper sint in ea potiores, melioresq;, nostra autem inferiores, & si quid valent id ex auxiliij diuini vi habere, sufficientia enim nostra, vt loquitur Apostolus, ex Deo est. Auxilium autem Dei, de quo loquor, non est illud generale, quo concurrat cum omnibus creaturis in earum actionibus, vt cum igne in calefaciendo, cum lumine hominis naturali in intelligentis rebus sublunaribus, sed est lumen multo sublimius, & peculiari nomine appellatur

AUXIL-

2. Cor. 3.

PRÆFATIO.

AUXILIUM SPECIALE. Etenim cum Meditatio, ut paulo post dicemus, sit participata quasi beatitudo: quemadmodum pro perfecta & totali beatitudine, qua sursum in caelis est datur sublime lumen, quod dicitur GLORIÆ: sic pro Meditatione datur medium quoddam inter utraque lumen, fidei scilicet, & duorum Spiritus sancti donorum, intelligentia & sapientia, Intelligentia quidem, ut intimè fidei mysteria penetrentur, quod idem munus incumbit, ut dicemus, Meditationi. Sapientia verò, ut cum voluptatis quodam sensu expendantur. Quanquam & alia sunt spiritalia charismata, & illustrationes, quibus S. D. M. succurrere solet in similibus actionibus.

NEQUE animum despondere debes, aut tergiuersari, dum animaduertis praesidium diuinum tibi omnino in actione Meditandi esse necessarium, quia B. Iacobus initio suæ epistolæ affirmat nemini cum fiducia postulanti id negari. Si quis in

Iac. I.

);(s diget,

PRÆFATIO.

Ier. i. diget, inquit, sapiētia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non impropertat: postulet autem in fide. Dicam amplius. Deo promptiorem inesse voluntatem nos adiuuandi, quam nobis insit, vt adiuuemur. sicut ipse indicauit, *Matth. 7.* quando apud B. Mattheum nos cohortatus est ad illud petendum, dicens. Petite & accipietis. Et quasi exprobrans nobis nostrā in petendo tarditatem, subiungit. Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quāto magis pater vester cœlestis dabit Spiritum bonum peccentibus se. Hac responsio sufficit, nisi fallor, pro testimonio B. Pauli.

Act. 17. Eiusdem sententiæ est Richardus de S. Victore, qui in libro primo de Contemplatione, conferens Meditationem cum Arca testamēti, scribit exemplar arce primum in visione demonstratum à Deo Moyse, Beselelem autem, vt eam videret, debuisse sua manu fabricare. Aaronem deinde vidisse iam fabricatam. Subiicit præterea hic

PRÆFATIO.

ea hic sanctus, Moysen fuisse typum sanctorum, quibus à Deo infusa est gratia contemplationis, Beselelem verò & Aaronem eorum, qui studio & labore eam compararunt, siue id fecerint sua industria, vt Beseleel, siue aliorum institutione, vt Aaron. Quod autem Deus voluerit ipsum Beseleel, à Moysse ediscere formam & magnitudinem Arca fabricanda, eo docere nos voluit, hoc sanctum recte contemplandi exercitium posse ab homine comprehendendi magisterio alieno, siue fiat sermone, vti didicit Beseleel à Moysse, siue exemplo, preceptis, vel libris scriptis, sicut Aaron, dum vidit arcam à Beseleel fabricatam.

Conferamus nos quoq̃, & forte conuenientius Meditationem nauigationi trimis, ita appellata, quod remis impellatur, dum venti absunt, at exortis ventis inhibentur remi, & vela panduntur. et si nonnunquam remigium ventis adiungitur, vt citius in portum perueniatur.

Ipsa

PRÆFATIO

Ipsa autem nauigatio videtur proprie posse comparari Contemplationi secundum descriptiones illi à dicto Richardo attributas, dum liberam agitationem in hanc illamue partem, quasi volatum, ei permittit. Contemplatio, inquit est libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa. Et paulo infra. Contemplatio, est perspicax & liber animi contuitus in res perspicendas vsquequaque diffusus. Ceterum hic commonefaciendum te arbitror de re vna, quam aduersarij oderunt; nempe, licet multas in hoc opusculo adferamus definitiones, diuisiones, & documenta ad rectè meditandum idonea, non tamen idcirco nos promittere, eum qui omnia à nobis præscripta obseruarit ad tantam perfectionem peruenturum, vt semper rectè meditationes suas instituat. Meminisse siquidè debemus dicti Apostoli.

1. Cor. 3. Neq; qui plantat est aliquid, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus,

RESTAT

PRÆFATIO.

RESTAT nunc, vt extremae quæ-
stioni satisfaciamus, que erat, quamob-
rem præter aliorum auctorum morem,
minuta quædam & leuia scribendo perse-
cuti fuerimus. Ad quam respondeo à me
stare B. Thomam Aquinatem in secunda
partis Theologica proœmio, cum docet,
Sermones vniuersales in rebus mora- ^{lib. 2. 20}
libus minus esse vtilis. Experientia
quoque annorum multorum me in hac
doctrina confirmauit, nam cum, volunta-
te Maiorum, instituendis, iuuandisq; aliis,
maximè tyronibus diu fuerim addictus,
re ipsa probaui, parum commodi ad bene
meditandum haustum esse ex libellis, qui
generalia tantum quædam præcepta &
documenta præscribunt. Et quoniam po-
stea variis euolutis scriptoribus piis depre-
hendi omnes fere eandem rationem & vi-
am tenuisse in suis sermonibus vel com-
mentariis, visum est mihi hæc mea docu-
menta, quo maiorem apud Lectorem fi-
dem obtinerent, S. Patrum communire
testi-

P R Æ F A T I O.

testimoniis, tãto amplius placitura, quanto rudia illa & imperfecta olim in libello quodã congesta, meq; inscio in Firmana vrbe typis mandata, magis displicuerunt. Quã rem, meo iudicio, merito omnes calculo suo probare debent, qui profectus spiritualis sunt cupidi, cum certo persuadere sibi debeant modum Meditandi hic traditum doctrinae sanctarum Patrum, hoc est, prisorum orationis, omnisq; sanctitatis magistrorum, esse imprimis cõsentaneum.

Hactenus, quoad potui, sincere & diligenter respondiisse me arbitror omnibus questionibus, vel dubitationibus, quae in hoc instructionis nostrae vestibulo occurrere alicui potuerunt.

Supereſt, vt subiiciam aliqua monita salutaria, quo hic labor noster vberiore tibi conciliet vtilitatem. Primum est, vt si optato fructu cito perfrui velis, totum librum legendo percurras; alteram vero partem conueniet perlegere sapius, vt tenaciſſimè in memoria documenta habeant;

PRÆFATIO.

veant, & velut tua vsurpentur. Sic enim continget vt inter meditandum sponte nunc hoc, nunc illud in mētem veniat cum maxima tua voluptate & fructu.

Alterum est, vt si cito ea memoria imprimere velis, magno mentis sensu & affectu ea perlegas: Quemadmodū enim molities efficit vt in ceram facile imprimatur sigillum. sic amor, vel affectus mentis facit, vt res amata facile menti insculpantur, & vbi insculpta semel fuerint, diutius in ea retineantur. Facio finem, te vnicē obtestans, si fructum aliquem spirituale electione huius libelli collegeris, gloriam omnem attribuas auctori omnium bonorum Deo, à quo, vt loquitur B. Iacobus, est ^{Iac. 1.} omne datum optimum, & omne donum perfectum, descendens à patre luminum. ac præterea in sanctis tuis præcationum ardoribus aliquando meminisse mei non dedi-

gneris.

ELENC.